



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

Brevis Expositio Belli Sacri. Clangor, Et Angor, Clamor, Et Amor,
Prophetarum, Apostolorum, Et Ipsius Verbi Incarnati Jesu-Christi Salvatoris
omnium hominum maximè Fidelium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)



BREVIS EXPOSITIO
BELLI SACRI.

CLANGOR, ET ANGOR,
 CLAMOR, ET AMOR,
 PROPHE TARUM,
 APOSTOLORUM,
 ET IPSIUS VERBI INCARNATI
JESU-CHRISTI
 Salvatoris omnium hominum
 maximè Fidelium.

Hoc est,

BELLUM SACRUM
ECCLESIAE MILITANTIS

*Contra Turcum, communem hostem Chri-
 stiani Nominis, inimicum crucis
 Christi, cujus finis interitus.*



UDIANT ergo fideles, in-
 telligant & conferant in
 corde suo verba hæc Pro-
 phetarum, Apostolorum,

A

imò ipſius Verbi Dei increati, & Incarnati Exhortatoria ad Bellum Sacrum. Audiant Boni Filii optimæ Matris Eccleſiæ militantis clamores, & gemitus, quæ plorans plorat amariffimis lacrimis, filios ſuos; Divini Sponſi ſanguine redemptos, ſub infami æquè ac crudeli Turcarum tyrannide, premi, opprimi, conteri. Quot ſunt qui conſolantur eam ex omnibus chariffimis ejus? Quantus amor, tantus dolor. Interrumpunt vocem dolor & lacrymæ, filii mei pugnaverunt contra me, dilaceraverunt omnia viſcera mea. Exurge Chriſte Rex Regum & Domine Dominantium: exurge in adiutorium ſponſæ tuæ, & filiorum ejus, quos proprio ſanguine redemiſti. Exurge Deus exercituum, adjuva nos, & libera nos Deus ſalutaris noſter; effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & nomen tuum non modò non invocaverunt, ſed etiam blaſphemant totâ die. Fugiant inimici tui à facie arcûs; fac potentiam in brachio tuo, & duplici contritione contere eos; unâ quidem ſæviffimam illorum tyrannidem evertendo; alterâ

conquassata ipsorum capita sub jugo
Evangelii tui inclinando, & corda infi-
delium ad te convertendo : ut sciant
gentes, quia non est alius Deus præ-
ter te: & juxta Regis Prophetæ oracu-
lum dicant omnes in nationibus, re-
gnavit à ligno *Jesus, Deus homo.*

*Verba exhortatoria ad Bellum
Sacrum.*

1. **F**inis venit, venit finis super qua-
tuor plagas terræ. *Ezech. c. 7.*
2. Dies tubæ & clangoris super Ci-
vitates munitas. *Sopho. 1.*
3. Nova Bella elegit Dominus. *Ju-
dic. 5.*
4. Confortamini filii Benjamin in
medio Jerusalem, levate vexillum,
clangite Buccinâ : levate signum in
terrâ, clangite Buccinâ in gentibus,
sanctificate super eam gentes. *Jerem.
6. & 51.*
5. Accipe sanctum gladium munus
à Deo, in quo dejicies adversarios po-
puli mei Israël. 2. *Machab. 15.*
6. Accipe Galeam salutis, & gla-

4.
dium spiritûs, quod est Verbum Dei!
Ephes. 6.

7. Vivus est sermo Dei & efficax,
& penetrabilior omni gladio ancipiti.
Hebr. 4.

8. Nolite arbitrari quia pacem veni
mittere in terram; non veni pacem
mitte, sed gladium. *Matth. 10.*

9. Cœpit Jesus prædicare, & dice-
re: Pœnitentiam agite, appropinqua-
vit enim regnum Cœlorum. *Matth. 4.*

10. Euntes in mundum universum,
prædicate Evangelium omni creatu-
ræ: qui crediderit & Baptizatus fue-
rit salvus erit. Qui verò non credide-
rit, condemnabitur. *Matth. 7. v. 10.*

11. Data est mihi omnis potestas in
cœlo & in terrâ: euntes ergo docete
omnes gentes, Baptizantes eos in no-
mine Patris & Filii, & Spiritûs San-
cti; docentes eos servare omnia quæ-
cumque mandavi vobis: & ecce ego
vobiscum sum usque ad consumma-
tionem sæculi. *Matth. 28.*

12. In mundo pressuram habebitis, sed
confidite, ego vici mundum. *Joan. 16.*

Ex his Prophetarum, Apostolo-
rum, & Jesu-Christi disertissimis ver-

bis liquidò constat unicum finem omnis Belli Sacri esse salutem populi, conversionem & sanctificationem mundi. Ideò enim Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Propter hunc finem unigenitus Dei Filius descendit de sinu Patris, & Incarnatus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & Homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis. Quam ob rem oportet omnes quidem fideles, sed maximè maximos Pontifices, Reges & Principes Christianos, totis viribus in tantum opus incumbere; ne pereant in nostrâ scientiâ tot centena animarum millia, pro quibus Christus mortuus est. O Trinitas Divina! sicut tuorum minimo hanc mentem inspirasti; sic Potentioribus majorem infunde charitatem, ad consummationem gloriæ tuæ in universo orbe terrarum; ut sciant omnes gentes, quia tu solus es Deus, unus, trinus, optimus, maximus, omnipotens.

Utinam ardentiora tuorum adoratorum desideria, & sanctiora vota exaudiens, cantemus omnes gloriosè Deo uni trino canticum novum novi Ho-

minis, qui in Throno suo Eucharistico substantialiter residens, nova facit omnia! Adimple fideles tuos novâ lætitiâ cum vultu tuo, fac delectationes tuas novas in Dexterâ tuâ usque in finem. Ab ortu solis usque ad occasum magnum sit nomen tuum in gentibus, & in omni loco sacrificetur & offeratur nomini tuo oblatio munda, oblatio Agni Dei Immaculati Jesu-Christi, qui tollit peccata mundi. Amen.

